



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorum Concionatorumque Instructiones

Borromeo, Carlo

Coloniae, 1587

VD16 B 6753

Andreae Bathoreo Diacono Card. Ampliss. Siluius Antonianus S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51263)

ANDREAE BATHO-
REO DIACONO CARD.

AMPLISS.

Siluius Antonianus S. D.



AD MIRABLEM Dei providē-
tiam in Ecclesia gubernanda, quam
suo sibi sanguine acquisiuit, opera-
pretiū est, ut arbitror, Andrea Car-
dinalis Ampliſſ. interdū contēplari
attentius, nam cum à Principe Mundi huius, & filijs
tenebrarum, multis dolis, & machinis, sed duplici in
primis armorum genere vehementissime oppugnetur,
falsa nimirum doctrina, & flagitiosa vita; è regione
milites suos fortissimos omni tempore excitat Deus
catholicae veritatis propugnatores, sanctimoni & ma-
gistros, non illius sūcata & adumbrata, sed vera ac
solida; qui divina gratia instructi verbo, & exemplo
pro Dei domo pugnant, & pro Ciuitate sancta Hie-
rusale aduersus agmina Babilonis. Hinc Martyrum
inuiētissimi exercitus, hinc lectissimarum Virginum
Chori, hinc sancte, casteq; in Domino nubentium ho-
norata coniugia, & thori immaculati, hinc laboriosa
viduarum victoria, hinc omnium generum, atque or-
dinum triumpho, quorum iucundissima varietate, tā-
quam pulcherrimo amictu summi Regis sponsa con-
uestitur, hinc demique Pastores, & Doctores clarissi-
mi, qui Ecclesiam Dei eruditione, & sanctitate illu-
strarunt; longum est veterum seculorum memoriam
repete-

repetere, plena exemplis sunt Ecclesiastica historia,
 omnis aetas singulari Dei dono viros tulit Apostolicos,
 non solum loco, officio, auctoritate, sed sanctitate, vitæ
 integritate, innocentia. Et quanquam negandum nõ
 est, primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus spiritua-
 les agros, quibus non aquarum inductiones, sed co-
 piose Spiritus Sancti primitiæ, & calens adhuc mar-
 tyrum sanguis fecunditatem dabant, feraciores, at-
 que vberiores multo fuisse, & magnam, vt ita dicam
 sanctorum præcipue Episcoporum segetem extulisse:
 tamen & in hac quoque vltima senescentis, & pene
 decrepiti Mundi aetate pro patribus filij nascuntur, nec
 desunt, nec deerunt vnquam sanctissimi Põtifices, re-
 ligiosissimi Cardinales, vigilantissimi Episcopi, sub
 quorum pedibus Deus Sathanam conterit. Nuper, ac
 plane paulo ante ipsi vidimus magnum illum Dei ser-
 uum, imaginem antiquitatis, specimen temperantiæ,
 exemplum veteris disciplinae, alterum nõstri teporis
 Ambrosium, Carolum dico Borromæum Cardinalem
 Sanctæ Prædixis, Archiepiscopum Mediolani, qui il-
 lustri genere natus, sed virtute, & pietate multo illu-
 strior in sublimi loco Dei prouidentia collocatus, sum-
 mi Pontificis sororis filius, non solum Romanæ Eccle-
 siæ magno fuit ornamento, nec tantum Mediolanen-
 sem Prouinciã, finitimasq; regiones suauissimo Chri-
 sti odore compleuit; sed tanquam lucerna ardens, &
 lucens in excelsis candelabro toti luxit Ecclesiæ. Hu-
 ius vitæ sanctissimè actam, dum alij complures viri
 docti, & eloquentes, hoc de genere multa moluntur
 (neque enim tam excellenti virtuti scriptores deesse

possunt, qui illam posteritati monumentis commendē
 suis) interea hic Romae per aestiuos dies vir Amplissi-
 mus Augustinus Valerius Cardinalis, & Verona Episcopus, primus, quod sciam, conscripsit, & doctissimo,
 atque integerrimo Cardinali Antonio Carafa dica-
 uit. Est autem breuiter scripta, sed enucleate mihi
 quidem, ut videtur, sic enim minuta quaeque & te-
 nuissima non persequitur, ut grandia, & grauiora non
 praetermittat, & dum summa rerum capita perstrin-
 git, nihil fere de utilitate detrahit, & dilucida breui-
 tate, quam in omnibus suis scriptis adamauit, mirifice
 oblectat. Caterum etsi Augustinus Cardinalis doloris
 leniendi, & illius memoria, quo cum coniunctissimus
 fuit, recolenda causa, sibi tantum haec scripsit, aut pau-
 cis interioribus amicis, nec ut in omnium manus per-
 uenirent, animum facile induxit: tamen cum pro sua
 humanitate, & veteri erga me beneuolentia librum
 mihi legendum dedisset, non sum passus pios homines
 permultos & maxime Episcopos tam fructuosa le-
 ctione priuari, praesertim cum ipse acri iudicio, & pru-
 dentia vir Cardinalis Carafa idem sentiret, manda-
 ret potius, nam bonum communicatione gaudet, &
 quanto latius patet, tanto diuinius, ac praestantius.
 Mitto igitur ad te Andrea Cardinalis Illustrissimo
 impressum librum, ut quasi de tua manu in aliorum
 manus tradatur, fidemque meam, quam tibi per lite-
 ras superioribus diebus obstrinxeram de mittenda ad
 te breui tempore Caroli Cardinalis vita iam libero,
 & certe non sine additamento, duos enim aureolos
 eiusdem auctoris libellos adiunxi de Episcopo, &
 Card

Cardinali, quorum alter iam Mediolani editus, alter ante annos decem conscriptus penes me asseruabatur. Id enim res ipsa postulare videbatur, nam preclaram illam Cardinalis & Episcopi formam, quam animo concepit, & eleganter delineauit Cardinalis Verone nostris temporibus, aut expressit Carolus, aut certe ad eam proxime accessit. Nec vero dubito hunc tibi libellum in delicijs fore, cum ob argumentum ipsum, tum etiam scriptoris nomine. Nulla tibi gratior siue ad loquendum, siue ad legendum materies, quam Carolus Cardinalis, quem summo studio coluisti, quem non alio nomine, quam parentis appellare solitus es, à quo vnici filij loco in Christo diligebaris, quem tibi potissimum vnum ad imitandum proposuisti, nam de libri auctore, quo cum tam multa tibi intercedunt amoris, & collegij vincula nihil necesse est dicere, certe genus ipsum scribendi non argutum, & calami-stratum, sed lacertosum, & plenum optimarum sententiarum succo, & Ecclesiastica quadam grauitate conditum, te egregium harum rerum aestimatorem facile alluciet. Vtrum vero eius etiã, à quo liber missus est ratio, aliquid iucunditatis aspergat, quantum ea in re spei mea tenuitas adimit, tantum tua benignitas addit. Singularis mee in te obseruantia Cardinalis Amplissime, hoc quicquid est testimonij certe extabit.

Libr. sanctus Jesu Paderborn.

F I N I S.

